

tertia,

**Tertia proprietas est, dici ad convertentiam,** quia nimium explicatur per ordinem ad aliud, quod vicissim per ordinem ad primum dicitur: ut v. g. *pater est filii pater, et filius est patris filius* etc.

quarta,

**Quarta proprietas est, relativa esse simul natura.** Simul esse duo natura importat, illa se mutuo inferre ac perimere, ita tamen ut neutra sit alterius causa (1). Ratio autem, cur relativa sint simul natura, hæc est, *si enim esse relativi est ad aliud se habere... posito uno relativo, statim ponitur suum correlativum; et ideo posita, se ponunt, et perempta, se perimunt* (2). Cæterum hæc proprietas intelligenda est de relativis formaliter prout talibus, non vero de relativis materialiter et secundum esse absolutum sumptis: hoc enim pacto nihil vetat unum relativorum prius altero ejusque causam esse, sicut e duobus parietibus similibus ratione albedinis non repugnat alterum existere altero non existente. Sed tunc prior nondum habuit relationem, donec alter existeret. Excipit tamen ab hac proprietate Aristoteles tertium genus relationum, in quo non semper relativa sunt simul natura; nam dari potest scibile, quin detur scientia; nisi *scibile* accipias pro denominatione pure extrinseca derivata ex actuali scientia, tunc enim scientia et scibile mutuo se inferunt. Verum de hac re sunt variae auctorum interpretationes ac sententiæ.

**Dices:** si vera est expositio allata eorum, quæ simul natura dicuntur, pater et filius aut non sunt relativi, aut certe non sunt simul natura, nam pater causat filium, ac proinde non simul, sed prior est illo natura. — «**Negatur sequela,** nam in relativo est considerare et subjectum materiale et fundamentum et relatio ipsa. Res quæ est subjectum

(1) Vide Arist., de Prædicam., cap. 12.

(2) *Summ. totius Logic. Arist.*, tract. 5. «Hinc jure optimo, inquit Cajetanus Sanseverino (*Philos. christian. Logicæ*, pars prima, pag. cxxxiii in not. 1.<sup>a</sup>) Prudentius Sabellio objicit eum negare Deum esse Patrem, cum Christum esse Filium negaret. Sic enim cecinit:

*Nonne Patrem violas, dum natum scire recusas?*

*Quandoquidem non est genitor, nisi filius extet.*

*Nec vocitare Patrem potis es, quem Germinem fraudas.*

*Apotheosis*, vv. 180-182, Opp. vol. 1, p. 451, Londini 1824.

unius relationis est causa rei, quæ est subjectum alterius; et est causa per fundamentum proximum talis relationis. Tamen relatio una non est alterius relationis causa. Exempli gratia: Paulus pater est causa Domini filii: et id quidem per generationem, quæ est fundamentum proximum paternitatis: tamen paternitas seu esse patrem non est causa hujus, quod est esse filium potius, quam e converso» (1).

**Quinta proprietas est relativa esse simul cognitione,** quia nempe unum claudit alterum in sui conceptu ac definitione. *Si enim definitio est oratio quid est esse rei significans; ad esse autem unius relativi requiritur necessario correlativum; qui ergo cognoscit esse unius relativi, oportet quod cognoscat esse sui correlativi* (2).

Jam si vis arborem prædicamentalem relationis conficere, consule P. Franciscum Suarez (3).

quinta.

## ARTICULUS II.

## In quo sita sit essentia relationis prædicamentalis.

338. Nec esse proprium ac peculiare relationis nec veritas realium relationum videtur satis intelligi aut sustineri posse, donec quidditas ejus, prout a quidditate aliorum prædicamentorum distinguitur, magis declaretur. Quid enim? Relatio ad hoc ut realis sit, oportet, ut aliquid reale, non autem pure a ratione confictum, præ se ferat; secus enim quomodo aliquid genus reale entium vel prædicamentum constituere valeat? Quod vero relatio nihil reale importet, facile probatur: α) quia ut constat ex dictis, ratio propria relationis exhibetur per conceptum *esse ad*; quandoquidem *esse in* cæteris etiam accidentibus convenit. Atqui *esse ad* non exprimit aliquid reale, quandoquidem *esse ad* secundum totam suam proprietatem commune est relationibus pure rationis, quas nos quoque admittimus. β) Præterea denominatio

Difficultates  
contra reales  
relationes  
prædicamenta-  
les, ad quas  
solvenda  
necesse est  
declarare,  
in quo sita sit  
prædicamentalis  
relatio.

(1) *Domin. Sot.*, lib. *Prædicam.*, cap. *Ad aliquid*, in expositio proprietat.

(2) *Summ. totius Logic. Arist.*, loc. cit., cap. 5 fin. Cfr. S. Thom., *Quodlib.* 11, art. 2.

(3) *Loc. cit.*, sect. 17. Cfr. Joan. a S. Thom., *Logic.*, quæst. 17, fin.

relativa, docente Aristotele (1), potest de novo advenire sine rei mutatione intrinseca. Ergo relatio nihil reale ponit in illa re. γ) Relatio ut relatio, nihil esse videtur præter absoluta. Ergo simpliciter nihil est; nam cum quæritur, an relatio sit aliquid rei, agitur de illa ut est ab omni absoluto distincta. Quod autem relatio nihil sit præter absoluta, patet, quia si ponamus in rerum natura duo alba, illa ex vi absolutarum, quas habent, qualitatum, inter se similia sunt, etiam præcisa quavis alia realitate superaddita. Enimvero quid est duo similia esse, nisi duo illa convenire in una aliqua qualitate vel forma? Atque hæc spectant ad prædicamentalem relationem; nam transcendentalis, fatentibus omnibus, nihil reale superaddit ipsi essentiae rei.

Difficultates istas alii aliter enodant pro varietate sententiarum circa prædicamentalis relationis quidditatem. Primo enim celebris est opinio plerorumque Thomistarum (2) et Scotistarum (3), qui relationem reponunt in entitate realiter distincta a subjecto, termino et fundamento ac ratione fundandi, cujus aliud non sit munus, quam respicere terminum. Non tamen conveniunt hi auctores in definienda natura illius entitatis, in qua volunt relationem consistere; quidam enim cum Bañez et Araujo (4) et Joanne a S. Thoma (5), tenent relationem esse modum, ideoque modaliter distingui a fundamento; alii putant cum Capreolo, Dominico a Flandria, Cajetano, Deza, Ferrariensi, Ripa (6) et Complutensibus, relationem esse entitatem quamdam non pure modalem, sed realem, quæ suam habeat essentiam et existentiam ab essentia et existentia fundamenti re distinctas; Massius vero et Aquarius (7), licet concedant relationem et fundamentum habere diversas essentias realiter distinctas, non tamen existentias. Denique Dominicus Sotus, quamvis nec

- (1) Vide apud Suarez, disp. 47 *Metaph.*, sec. 1, n. 1-5.  
 (2) Quos longo ordine citatos vide apud Complutenses.  
 (3) Vide apud Mastrium, *Logic.*, disp. 8, quest. 3, n. 18 et 29 seqq.; et apud Pontium, *Logic.*, disp. 15, quest. 3, n. 19 et 35.  
 (4) Apud Complutens. *Dialect.* disp. 14, quest. 5, n. 47.  
 (5) *Logic.*, quest. 17, art. 4, *Conclus.* 2.<sup>a</sup>  
 (6) Apud Complutens., ib.  
 (7) Apud Complutens., ibid.

realem nec modalem distinctionem admittat inter relationem ac fundamentum ejusdem proximum (1), admittit tamen formalem ex natura rei (2). At vero plures alii, nec sane ignobiles Thomistæ, ut Ægidius (3), Hervæus (4), Sylvester Prieras (5), Paulus Soncinas (6), Chrysostomus Javelus (7) et Zumel (8), quibus adstipulantur, paucis exceptis, nostri auctores cum Suarez (9), Conimbricensibus (10), Hurtado (11), Rhodes (12), Semery (13), Antonio Mayr (14), et Lossada (15), negant relationem consistere in hujusmodi entitate a fundamento distincta. Et conveniunt e recentioribus cl. P. Sanctus Schiffini (16), cl. Van der Aa (17), cl. De San (18), cl. Lepidi (19) et cl. P. Lahousse (20); ut omittam nunc e veteribus Ockamum, Gregorium Ariminensem, Marsilium Joannem Major, aliosque Nominales (21).

Verum hi omnes licet uno ore repellant quamcumque realem entitatem a fundamento distinctam, non uno tamen eodemque modo rem explicant. Multi enim, et est secunda opinio generalis, relationem (saltem primi generis, de quo maxime disputatur) identificat cum solo fundamento; quod se tenet ex parte subjecti relati, ita ut terminus et quidquid

secunda.

- (1) *De Prædicam. Ad aliquid*, quest. 2, per totam.  
 (2) Ibid. ad 3.<sup>um</sup> et 4.<sup>um</sup>  
 (3) 1.<sup>a</sup> dist. 26, quest. 4.  
 (4) 1.<sup>a</sup> dist. 30, quest. 1.  
 (5) *In Conflato*, quest. 28, dub. 1.  
 (6) *Metaph.*, lib. 5, quest. 28.  
 (7) *Metaph.*, lib. 5, quest. 22.  
 (8) In 1.<sup>am</sup> part., quest. 28, art. 2, quest. 6.  
 (9) Loc. cit., sect. 2.  
 (10) *De Relatione*, quest. 1, art. 4.  
 (11) *Metaph.*, disp. 15, sect. 2.  
 (12) Lib. 4, disp. 4, quest. 5, sect. 2.  
 (13) *Trienn. philos.*, vol. 1, disp. 4, quest. 8, art. 4.  
 (14) *Philos. perip.*, pars. 1.<sup>a</sup>, n. 730.  
 (15) *Logic.*, loc. cit., cap. 4.  
 (16) *Princip. Philos.*, *Philos. prim.*, thes. 16.  
 (17) *Ontolog.*, *Prop.* 45.  
 (18) *Cosmolog.*, n. 299 in not.  
 (19) *Ontolog.*, lib. 3, sect. 1, cap. 2, n. 8.  
 (20) *Ontolog.*, n. 613.  
 (21) Apud Suarez, loc. cit., sect. 2, n. 12; et Complutens., loc. cit., n. 44.

se tenet ex parte termini, nullatenus constituat intrinsece relationem, sed sit purum connotatum extrinsecum, quamvis necessario requisitum, ut relatio detur. V. g. relatio, qua albedo *A*, dicitur similis albedinis *B*, tota consistit in albedine *A*, requirit tamen necessario existentiam albedinis *B*, tamquam purum connotatum extrinsecum». Unde quibus hæc arridet doctrina, iis nomen inditum est *Connotatorum* (1). Tertia vero sententia relationem adæquate identificat cum fundamento prout in utroque extremo, et non solum in subjecto, reperitur, ita ut relatio v. g. similitudinis in Petro et Paulo existens secundum albedinem consistat in albedine utriusque. Et hæc est communissima auctorum nostrorum sententia apud Ludovicum Lossada (2), quam puto etiam tenere Doctorem Eximium, quidquid dicant nonnulli, ad Connotatorum partes illum invitum trahere volentes (3). S. Thomam suum esse contendunt primæ ac tertiæ sententiæ assertores; ut mox videbimus.

339. PROPOSITIO. 1.<sup>a</sup> Relatio non consistit in ulla entitate vel modo realiter distincto ab adæquato fundamento vel ratione fundandi.

Relatio non consistit in aliquo modo vel realitate superaddita fundamento adæquato. Auctoritas SS. Anselmi, Bonaventuræ

Hæc sententia videtur aperte contineri in verbis illis S. Anselmi: *Homini post annum nascituro nec major nec minor, nec æqualis sum. Omnes autem relationes bas utique cum natus fuerit, sine omni mei mutatione ad illum habere potero* (4).

Similia docet S. Bonaventura: *Relatio introduci habet in esse per mutationem factam in uno extremo, altero omnino immobili permanente. Sicut patet: si ego sim albus, et generatur alius, qui sit albus, statim incipit mihi esse similis, nulla in me facta mutatione, sed solum in ipso* (5). Novi profecto, quid ad hæc et similia respondeant Thomistæ. Dicunt nimirum alii

(1) Lossada, loc. cit., n. 1. Hæc sententia solet a quibusdam tribui etiam Suarezio, sed perperam, quemadmodum ostendit Lossada, loc. cit., cap. 5, n. 26.

(2) Ibid.

(3) Vide Suarez, disp. 47, sect. 8, a. 10 et 14; disp. 7, sect. 2, n. 3. Et ideo valde errant...

(4) *Monolog.*, cap. 26.

(5) S. Bonav. 3.<sup>a</sup> dist. 1, art. 1, quæst. 1, ad 3.<sup>um</sup>

nullam fieri in subjecto mutationem secundum conceptum *ad*, fieri tamen secundum conceptum *in*: alii notant, cum relationis esse sit debilissimum, revera mutationem esse quasi nullam (1); alii demum apud Dominicum Soto respondent, cum quis de novo acquirit similitudinis relationem predicto modo, re vera mutari, non quidem per alicujus absoluti accidentis receptionem, sed per accessum accidentis relativi. Verum quid hoc est, nisi aperte fateri sanctos istos Doctores reapse contrarium sentire? Qui enim statuit *nullam* fieri mutationem in uno ex extremis, sed *solum* in altero, profecto excludit a primo omnem realem mutationem, sive secundum accidens absolutum sive secundum relativum, sive secundum conceptum *in* sive secundum conceptum *ad*.

S. Thomas etiam eandem aperte doctrinam sæpissime tradidit cum Aristotele. Et Aristoteles quidem ita probaverat, quod ad relationem nequeat dari motus per se: *At ne in iis quidem, quæ sunt ad aliquid: altero enim subeunte mutationem alterum mutationem non subiens vere dici potest: quare motus ipsorum per accidens est* (2). Vis nempe probationis in eo est, quod motus per se non potest dari ad id, quod de novo esse potest in subjecto absque sui reali mutatione, sicut evenit in relatione, quæ potest re vera de novo advenire alicui sine ulla sui intrinseca mutatiōe, quemadmodum interpretatur S. Thomas (3). Hoc autem, quod hic dicitur, pergit S. Doctor, *in quibusdam non videtur habere difficultatem* (nempe in relationibus rationis, et in reali non mutua), *in quibusdam autem sic: nam quædam... relativa sunt, in quibus ex parte utriusque extremi invenitur relatio realiter existens, sicut in æqualitate et similitudine, in utraque enim invenitur quantitas vel qualitas, quæ est hujus relationis radix; et simile etiam apparet in multis aliis relationibus. In illis igitur relationibus, quæ non ponunt rem aliquam nisi in uno extremorum, non videtur difficile, quod mutato illo extremo, in quo relatio realiter existit, de novo dicatur aliquid relative de altero absque sui mutatione, cum nihil ei realiter adveniat. Sed in illis, in quibus relatio invenitur*

et Thomæ cum Aristotele.

(1) Apud Lossada, loc. cit., n. 10.

(2) Aristot., *Physicor.* lib. 5, cap. 2, text. 11.

(3) S. Thom. lib. 5.<sup>o</sup> *Physicor.*, lect. 3, paragr. b.

realiter in utroque extremorum, videtur difficile, quod aliquid relative dicatur de uno per mutationem alterius absque mutatione sui; cum nihil de novo adveniat alicui absque mutatione ejus, cui advenit. Unde dicendum est, quod si aliquis per suam mutationem efficiatur mihi æqualis, me non mutato; ista æqualitas primo erat in me quodammodo sicut in sua radice, ex qua habet esse reale. Ex hoc enim quod habeo talem quantitatem, competit mihi, quod sim æqualis omnibus illis, qui eandem quantitatem habent. Cum ergo aliquis de novo accipit illam quantitatem, ista communis radix æqualitatis determinatur ad istum; et ideo nihil advenit mihi de novo, per hoc quod incipio esse alteri æqualis per ejus mutationem (1). Quid clarius? Quod vero respondent Cajetanus et Ferrariensis ad elevandam vim hujus testimonii, stare nequit, quemadmodum bene ostendit el. P. Ludovicus De San (2).

Idem colligitur etiam ex doctrina Aquinatis superius laudata, ex qua relatio secundum suam propriam rationem non est aliquid, nec habet aliquid ponere in subjecto (3). In hoc differit, inquit, ad aliquid ab aliis generibus; quod alia genera ex propria sui ratione habent, quod aliquid sint, sicut quantitas, ex hoc ipso quod est quantitas, aliquid ponit: et similiter est de aliis. Sed ad aliquid ex propria sui generis ratione non habet, quod ponat aliquid, sed ad aliquid... Habet autem relatio quod sit aliquid reale ex eo, quod relationem causal (nempe ex fundamento). Cum enim in aliquo invenitur aliquid reale, per quod ad alterum dependeat, et comparetur, tunc dicimus realiter comparari vel dependere vel referri; sicut æqualitas relatio realis ponitur ex virtute quantitatis, quæ æqualitatem causal (4). Atqui si relatio consisteret in aliqua entitate vel modo reali a ratione fundandi distincto, verum profecto non esset, relationem non habere aliud esse in subjecto præter esse ipsius quantitatis. Et alibi: Relatio est aliquid inherens, licet non ex hoc ipso quod est relatio... Et ideo nihil prohibet,

(1) S. Thom., loc. cit. Cfr. 1.<sup>o</sup> dist. 26, quæst. 2, art. 1 ad 2.<sup>um</sup>; dist. 30, quæst. 1, art. 1; 3 p., quæst. 16, art. 6 ad 2.<sup>um</sup>

(2) Loc. cit. pag. 374 in not.

(3) Vide loca citata supra n. 334.

(4) S. Thom., Quodlib. 9, art. 4. Cfr. de Potent., quæst. 2, art. 5.

quod esse desinat hujusmodi accidens sine mutatione ejus, in quo est, quia sui ratio non perficitur, prout est in ipso subjecto, sed prout transit in aliud, quo sublato ratio hujus accidentis tollitur quidem quantum ad actum, sed manet quantum ad causam: sicut et subtracta materia tollitur calefactio, licet maneat calefactionis causa (1). Item: Quandocumque aliquid, quod est de ratione rei, tollitur, oportet quod ipsa res auferatur, sicut remoto rationali destruitur homo. Ad rationem autem relationis, quæ habet fundamentum in re, duo concurrunt, scilicet fundamentum rei, quod est quantitas, quæ est causa hujus relationis: est etiam aliud de ratione ejus, scilicet respectus ad alterum. Et utroque modo contingit in reallibus relationibus destrui relationem: vel per destructionem quantitatis, unde ad hanc mutationem quantitatis sequitur per accidens mutatio relationis: vel etiam secundum quod cessat respectus ad alterum, remoto illo ad quod referebatur; et tunc relatio cessat, nulla mutatione facta in ipsa. Unde in illis, in quibus non est relatio nisi secundum hunc respectum, veniunt et recedunt relationes sine aliqua mutatione ejus, quod refertur (2).

Denique S. Thomas præcise ex eo, quod relatio non importat aliquid esse reale distinctum ab ipso esse fundamenti, derivat causam, cur hoc prædicamentum, secus atque alia, dividatur in reale et rationis; quia nempe respectus, prout distinctus a re fundamenti, non addit in ipso subjecto realem entitatem, unde ex se indifferens est, ut sit realis vel rationis, et utrum sit realis judicandum erit ex eo quod fundamentum ipsum sit in subjecto reale aliquid: Relationes, inquit, differunt in hoc ab omnibus aliis rerum generibus, quia ea quæ sunt aliorum generum, ex ipsa ratione sui generis habent, quod sint res naturæ, sicut quantitates ex ratione quantitatis, et qualitates ex ratione qualitatibus. Sed relationes non habent quod sint res naturæ ex ratione respectus ad alterum. Inveniuntur quidam respectus, qui non sunt reales, sed rationales tantum; sicut scibile refertur ad scientiam, non aliqua

(1) S. Thom., de Potent., quæst. 7, art. 9 ad 7.<sup>um</sup>

(2) S. Thom., 1.<sup>o</sup> dist. 26, quæst. 2, art. 1 ad 3.<sup>um</sup> Cfr. 4.<sup>o</sup> dist. 41, quæst. 1, p. 1, solut. 1 ad 3.<sup>um</sup>; de Potent., quæst. 7, art. 8.

reali relatione in scibile existente, sed potius quia scientia referitur ad ipsum secundum Philosophum in 5.<sup>o</sup> Metaphys. (text. comm. 20). Sed relatio habet, quod sit res naturæ ex sua causa, per quam una res naturalem ordinem habet ad alteram, qui quidem ordo naturalis et realis est ipsis ipsa relatio (1). Huiusmodi profecto testimonia manifeste videntur excludere quamcumque entitatem vel modum realem fundamento superadditum, qualem Thomistæ plures et Scotistæ comminiscuntur. Addendus est in confirmationem ejusdem asserti locus insignis ex *Summa totius Logicæ Aristotelis*, cujus auctor vel fuit ipsemet S. Thomas, vel aliquis alius antiquus et gravissimus scriptor haud alienus ab Aquinatis doctrina: *Similitudo* (secundum albedinem) *requirit duo alba realia, quorum unum est fundamentum* (i. e. subjectum), *alterum terminus: similitudo enim Socratis albi ad Platonem album, in albedine Socratis est ut in fundamento, in albedine vero Platonis est ut in termino. E converso se habet de similitudine Platonis ad Socratem... Cum autem dico, quod similitudo Socratis habet albedinem ejus ut fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo Socratis sit aliqua res in Socrate alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis ut ad terminum* (2).

Probatur jam 1.<sup>o</sup> propositio ratione, cum Auctore prædicti Opusculi. *Si enim similitudo adderet supra albedinem Socratis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione. Fit autem homo similis alicui sine sui mutatione, ut patet: nam si quis in India fieret modo albus, fieret similis mihi, et ego sibi, nulla in me facta mutatione. Similitudo enim nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter sit in me* (3). Et hoc idem argumentum assumit Aristoteles loco supra laudato, ad ostendendum quod ad relationem non detur per se motus.

Prob. 2.<sup>o</sup> Posita absoluta entitate fundamenti v. g. albedine in subjecto et in termino, licet præcisio fiat a quocumque

(1) S. Thom., *Quodlib.* 1, art. 2. Cfr. 1 p., quæst. 28, art. 1; 1.<sup>o</sup> dist. 33, quæst. 1, art. 1.

(2) *Sum. tot. Logic. Aristot.*, tract. 5, cap. 2. Cfr. *ib.*, cap. 3; et tract. 6, cap. 2, ubi de actione.

(3) *Ibid.*, tract. 5, cap. 2.

modo vel realitate superaddita, jam plene et complete intelligitur relatio formalis similitudinis. Ergo hæc non consistit in aliqua huiusmodi entitate superaddita.

Prob. antec. Similitudo formalis importat unum se habere sicut aliud; nam *idem est aliquid esse alicui simile, quod habere qualitatem illius* (1), vel similia sunt, ex communi sententia cum Aristotele illa, *quorum qualitas est una*. Atqui posita albedine in Petro et in Paulo, etiamsi præcindatur a quacumque alia realitate, quæ insuper accedat, Petrus se habet secundum albedinem sicut Paulus, vel Petrus et Paulus conveniunt in una logice qualitate.

Respondent adversarii Petrum et Paulum præcisio modo relationis vel realitate illa superaddita, non esse formaliter, sed tantum fundamentaliter similes.—**Verum negatur** prorsus evasio, quia cum Philosophi communiter definiunt similitudinem per unitatem vel convenientiam in qualitate, non intendunt definire fundamentum dumtaxat similitudinis, sed ipsam formalem similitudinem.—Plura dabit Lossada (2).

340. PROPOSITIO 2.<sup>a</sup> Relatio prædicamentalis non identificatur realiter cum solo fundamento prout existente dumtaxat in subjecto, sed cum fundamento prout existente in utroque extremo, quæ est adæquata ratio fundandi.

Prima pars est contra Connotatores, altera nostram sententiam continet. Itaque

Probatur prima pars. «Id, quo præcisè intellecto relatio plene intelligitur, et quo non intellecto penes quamlibet sui partem, nequit relatio intelligi, est unica et tota quidditas relationis». Atqui non intellecto fundamento prout existente in utroque termino, non intelligitur relatio, illo autem intellecto, et hæc intelligitur. Ergo (3).

Major videtur per se patere.

Minoris prima pars facile probatur, quia in primis nisi detur subjectum cum suo fundamento, nec est quod referatur, nec secundum quod referatur. Verum id non sufficit;

Relatio  
prædicamentalis  
non  
identificatur  
cum solo  
fundamento;

(1) S. Thom., 1.<sup>o</sup> dist. 19, quæst. 1, art. 2.

(2) *Loc. cit.*, n. 2 seqq.

(3) Vide Lossada, *loc. cit.*, cap. 4, n. 25.

cum enim relatio prædicamentalis non adæquate identificetur cum subjecto, necesse est etiam addere termini existentiam cum suo quoque fundamento. Hinc passim cernimus relationem cessare ex cessatione termini vel solius fundamenti in eo existentis, ut patet exemplis innumeris.

Altera pars Minoris constat ex præcedenti propositione, in qua ostensum est relationem non consistere in aliqua entitate vel modo superaddito adæquatæ rationi fundandi, quæ in subjecto ac prædicato reperitur.

**Respondent 1.<sup>o</sup>** Connotatores per solum fundamentum, quod se tenet ex parte subjecti, adesse re vera entitative ac materialiter relationem, licet non adsit formaliter et quoad denominationem, vel adesse quoad implicitum, quidditative, quoad rectum, et *ut quod*, licet non adsit quoad explicitum, denominative, quoad obliquum et *ut quo*.

**Verum quæro**, an albedo v. g. Petri, prout est formaliter, et non solum materialiter, relatio ejusdem ad Paulum, vel sumpta in *esse* formali relationis, vel denominative vel quoad denominationem; vel quoad explicitum et *ut quo*, constituatur per aliquid distinctum ab albedine nude sumpta secundum suam physicam entitatem, vel non. Si non constituitur per aliquid distinctum: ergo quamdiu durabit albedo in Petro, tamdiu aderit relatio formaliter ac plene constituta et secundum explicitum et quoad denominationem. Atqui id falsum est, quia ut ipsimet adversarii fatentur, deficiente termino, quem Petrus albus connotet, deficit relatio quoad *esse* formale et quoad explicitum vel quoad denominationem. Si autem relatio formaliter vel quoad *esse* formale relationis, vel quoad denominationem etc., constituitur per aliquid distinctum ab albedine Petri, falsum est, quod relatio consistat in sola fundamenti entitate, prout se tenet ex parte subjecti: sed necessario dicendum erit essentiam relationis ingredi aliquid aliud, nempe terminum cum suo fundamento, sive ille importetur per relationem ut *quod* et in recto, vel ut *quo* et in obliquo. Id enim in præsentibus quæstione nihil interest, dummodo agnoscat etiam fundamentum, prout se tenet ex parte termini, relationem intrinsece constituere. Neque enim duo hæc inter se pugnant, aliquid importari *ut quo* vel *in obliquo*, et intrinsece ingredi

rei constitutionem. Sic unio materiæ et animæ vere intrinsece constituit hominem, licet solum *ut quo*; et gratia intrinsece, quamvis *de obliquo*, constituit denominationem *filiu adoptivi*, non enim hæc denominatio verificatur, nisi de rationali creatura, et in quavis denominatione *rectum* dicitur id, de quo illa verificatur (1).

**Respondent 2.<sup>o</sup>** Connotatores. Quamvis terminus in relatione non sit nisi purum connotatum extrinsecum, potest, eo solo deficiente, deficere relatio saltem secundum denominationem. Quod autem ad deficientiam meri connotati deficiat ratio tale connotatum exigens, constat multis exemplis. Nam deficiente v. g. termino actionis deficit etiam ipsa actio, et deficientibus extremis deficit unio, quamvis nec actio terminum, nec unio respiciat extrema ut intrinseca sui constitutiva, sed ut pure connotata.

**Resp. neg.** assert. et conseq. probationis. Nam deficiente termino, ita deficit actio, ut nihil de hujus entitate remaneat; et similiter nihil remanet de unione, deficientibus extremis. At secundum Connotatores deficiente albedine in Paulo, adhuc remanet tota entitas, quæ est relatio similitudinis, nempe albedo Petri. At implicat remanere totam rem seu rationem illam, quæ per seipsam adæquate est relatio, et non remanere relationem. Unde nulla est paritas inter allata exempla aliaque similia, quæ produci possent, et relationem. In illis enim deficiente connotato, deficit res connotatum exigens; in relatione autem, si vera foret adversariorum doctrina, deficiente fundamento, prout se tenet ex parte termini, adhuc perseverat res ipsa quæ est relatio, licet non perseveret, inquit, quoad denominationem. Ergo fundamentum prout se tenens ex parte termini non est purum connotatum extrinsecum, sed aliquid intrinsece illam constituens. Et propterea etiam, cessante termino, cessat ipsa relatio, sicut cessante connotato, cessat res cum illo connexa; cum hoc tamen discrimine, quod cessante connotato, cessat res illud exigens, solum argutive, mediate, ac pure illative et per locum extrinsecum, quia nempe cum res habeat necessariam connexionem ac dependentiam a connotato, si hoc deficiat,

(1) Vide Lessada, *Logica*, tract. 4, disp. unic., cap. 4. n. 16-19.

arguitur necessario defectus illius. At relatio, deficiente termino, deficit formaliter et immediate ac per locum intrinsecum, quia essentia ipsa relationis non amplius remanere potest, ubi deficit intrinsecum ejusdem constitutum (1).

**Secunda pars** propositionis sequitur ex præcedentibus. Et confirmatur ulterius, quia relatio realis consistit in ea realitate, quam respiciens intellectus potest subjectum cum termino comparare ordinemque inter illa detegere. Atqui realitas hujusmodi est ratio fundandi adæquata, seu prout se tenens ex parte subjecti ac termini. Sane generatio prout se tenet ex parte Philippi et ex parte Alexandri, ab illo manans et in hoc recepta, sufficit ut Philippum cognoscam ut patrem, Alexandrum ut filium. Similiter albedo existens in Petro et in Paulo sufficit ut illos cognoscam vereque prædicem similes. Quamobrem relatio in abstracto, et per modum formæ sumpta, identificatur cum fundamento et ratione fundandi, prout se tenet ex parte subjecti et termini. Relatio autem sumpta in concreto, id est, pro tota denominatione relativa intrinsece constituitur per subjectum ac terminum cum ratione fundandi. Unde fit ut relatio prædicamentalis abstracte sumpta, pro varietate rationis fundandi, varie constituatur. Aliquando enim consistet in complexu duplicis substantiæ ut specificæ identitatis duorum hominum; aliquando in complexu duplicis accidentis absoluti, ut similitudo et æqualitas; aliquando in simplici entitate modali, ut relatio unionis inter materiam et formam, relatio producentis et producti, patris et filii, consistens in actione; aliquando in complexu duplicis modi, ut propinquitas aut distantia localis (2).

Quæ cum ita sint, patet quo pacto solvendæ sint initio propositæ difficultates adversus realium relationum existentiam. *Negatur* enim relationem realem nihil importare. Et ad probationem 2) *negatur* similiter Minor, quia aliud est, quod *esse ad* nihil importet reale, et aliud, quod nihil realiter distinctum ab adæquato fundamento. Rationalitas certe aliquid reale importat in homine, non tamen importat entitatem re-

(1) Vide Lossada, loc. nup. cit., n. 10, seqq.; Semery, *Trienn. philos.* vol. 1, disp. 4, quest. 8, art. 5.

(2) Lossada, loc. cit., cap. 6, n. 1.

ab animalitate distinctam. Ita ergo *esse ad*, quamvis aliquid reale importet, necesse non est, ut re distinguatur ab *esse in*. Ad probationem β) *disting.*; potest relatio realis de novo advenire subjecto absque ulla mutatione vel sui vel termini, *neg.*; absque ulla mutatione sui, *conc.* Ad probationem γ) *negatur* pariter conseq. Nam licet relatio non sit aliquid re distinctum præter absoluta, potest esse ratione distinctum, atque adeo aliquid reale. Ad hoc autem ut relatio constituat prædicamentum a cæteris distinctum, necesse non est, ut consistat in aliqua realitate a cæteris omnibus prædicamentis distincta, quemadmodum jam alias notavimus cum S. Thoma (1).

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

341. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Hæc habet S. Thomas circa relationem: *Sicut in rebus creatis, inquit, in illo, quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum; ita et in Deo, sed aliter et aliter. Nam id, quod invenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res: in Deo autem non est alia res* (2). Item alibi: *Nulla relatio est substantia secundum rem in creaturis* (3). Item: *creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam, sicut secundum causam relationis, secundum vero relationem ipsam, formaliter; sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter, secundum similitudinem formaliter* (4). Alibi disertis verbis docet Angelicus quod relatio in rebus creatis sit accidens (5). Denique ut supra vidimus, scribit S. Doctor relationem habere *esse debilissimum*. Atqui hæc omnia videntur aperte designare entitatem aliquam accidentalem, saltem modalem. Ergo...

(1) S. Th. *Metaph.*, lib. 11, lect. 9. Cfr. *Summ. totius Logic.* Arist., tract. 5, cap. 3.

(2) S. Thom., 1 p., quest. 28, art. 2 ad 2.<sup>am</sup> Cfr. 4.<sup>o</sup> *Contr. Gent.*, cap. 14. *Ex hoc etiam patet, quod relatio...*

(3) 1.<sup>o</sup> dist. 4, quest. 1, art. 1, ad 3.<sup>am</sup>

(4) *De Potent.*, quest. 7, art. 0, ad 4.<sup>am</sup> Cfr. ib. ad 5.<sup>am</sup>

(5) *De Potent.*, quest. 8, art. 2, fin. Cfr. 1.<sup>o</sup> dist. 20, quest. 1, art. 1, dist. 21, quest. 1, art. 2, etc.

sed cum  
fundamento  
et termino.

Solvuntur contra  
reales  
relationes obje-  
ctæ difficultates

Resp. fateor loca hæc difficilia esse. Verum cum alia non minus manifesta pro contraria sententia suppetant, ut videmus, ne quis Sanctum Doctorem contradictoria docuisse putet, conabor aliquo modo sententiam ejus interpretari. Et in primis relatio potest cum Aquinate dici *alia res* a substantia, quia plerumque, licet non semper, fundamentum ejus est accidens. Verum est, quod S. Thomas nulla facta exceptione, dicat indefinite relationem in creatis esse aliam rem ab ipsa substantia. Nondum tamen exinde penitus evinci videtur, ipsum relationem in realitate aliqua distincta ab adæquato fundamento reposuisse. Nam sicut etiam scripsit aliquando generatim relationem omnem fundari vel supra quantitatem vel supra actionem (1), et nihilominus constat ex ipso S. Doctore relationem fundari posse quoque in natura vel substantia rei, ut jam alias monuimus; ita etiam licebit forte in hac materia, potissimum spectatis aliis contrariis testimoniis superius productis, generalis assertio paululum temperari, ut eam ad illa solum exempla relationum contrahamus, quæ in prædicamentis accidentalibus fundantur. Eo vel maxime quod prædictam doctrinam tradiderit, agendo de relationibus creatis per oppositionem ad increatas. Et cum increatæ relationes fundentur in divinis processionibus, credibile est, S. Thomam, cum scripsit in creatis relationem a substantia rei distingui, de relationibus solum in actione et passione fundatis locutum esse. Hæc autem etiam in nostra doctrina sunt a substantia re distinctæ, sicut ipsa actio et passio. Deinde *nullam relationem esse substantiam* scripsit, vel quia plerumque ratio fundandi non est substantia, ut modo dicebamus, vel potius quia semper relatio, etiam cum in substantia fundatur, aliquid addit supra substantiam cujuslibet extremi relati singillatim sumpti, quia non identificatur cum fundamento prout se tenet ex parte solius subjecti, vel solius termini, sed prout se tenet ex parte utriusque. Quare relatio, etiam illa quæ in substantia fundatur, semper est accidens, saltem logicum, subjecti, quia cum importet etiam terminum cum suo fundamento, semper exprimit denominationem contingentem et accidentaliter

(1) Vide v. g. 1 p., quest. 28, art. 4.

supervenientem subjecto, utpote quæ adesse vel abesse potest, prout adsit vel deficiat terminus. Et sic etiam quatenus vel est, vel saltem concipitur, ut inhærens subjecto, potest dici facere cum ipso compositionem. Et hoc modo explicatur id, quod S. Thomas scripsit, relationem in rebus creatis esse accidens. Cæterum quod relatio, etiam illa quæ identificatur cum substantia, sit et possit accidens dici in sensu logico, non est novum nec insolitum. Nam habitus vel indumentum, fatentibus omnibus Scholasticis, substantia quidem est in se, verumtamen unum de prædicamentis accidentalibus constituit.

Quod autem addit supra S. Thomas creaturam referri ad Deum *secundum suam substantiam fundamentaliter tantum*, at *secundum relationem formaliter*, sicut simile dicitur aliquid alteri secundum qualitatem solum fundamentaliter, secundum ipsam autem similitudinem formaliter; etiam explicari potest, quia sola substantia creaturæ considerata ut sic, nondum importat relationem formalem, donec concipiatur ut dependens a Deo; et qualitas etiam ex suo specifico conceptu est aliquid absolutum, unde seorsim ut sic considerata, non continet formalem relationem.

Denique *esse* relationis dicitur *debilissimum* secundum conceptum *ad*, quia quamvis respectus importet aliquod *esse* in termino, quod concurrat ad complendam adæquatam relationem fundandi, nihil tamen addit in subjecto præter fundamentum prout in ipso existens: itemque quamvis ipsum respicere sit reale et independens a mentis consideratione, nihilominus non est aliquid re distinctum ab ipso fundamento, ratione cujus subjectum respicit terminum (1). Nescio, an veram mentem Aquinatis assecutus sim: comparet sapiens lector pro utraque sententia hinc inde allegata testimonia, et judicet ipse, quid probabilius de hac re sentiendum sit.

Objic. 2.<sup>o</sup> Ex nostra doctrina sequitur relationem etiam in creatis posse esse undique substantialem; nam ubicumque fundamentum relationis fuerit substantia, relatio non exhibebit, nisi complexum utriusque termini cum suo fundamento, qui totus substantialis est, ut accidit in relatione

(1) Lossada, loc. cit., cap. 5, n. 22 seqq.



identitatis specificæ inter duos homines. Atqui hoc falsum est, quia relatio prædicamentalis accidens est, et contingenter advenit subjecto et fundamento ejusdem. Ergo...

**Resp. conc.** Major. *dist.* Minor.; relatio est accidens physicum vel metaphysicum sive in essendo, *neg.*; logicum sive in prædicando, quatenus tribuit denominationem contingentem et velut accidentaliter supervenientem subjecto, *conc.*

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Si relatio prædicamentalis identificaretur cum fundamento vel subjecto, non posset a transcendentali distingui. Atqui tamen ab omnibus distinguitur et distingui debet.

**Resp.** si relatio prædicamentalis adæquate identificaretur cum fundamento vel subjecto, *conc.*; si non adæquate identificatur, *neg.*; et *neg. conseq.* Cum enim relatio prædicamentalis in concreto constituatur per complexum subjecti et prædicati cum ratione fundandi, certe distinguitur inadæquate a quovis membro hujus complexus. Probe autem nota, posse esse eandem simplicem entitatem relationem transcendentalem sui ipsius ad aliud, et simul prædicamentalem duorum extremorum inter se, quatenus illis præstat denominationes correlativas. Sic unio transcendentaliter refertur ad extrema, et est prædicamentalis relatio ipsorum extremorum inter se, quatenus illa denominat unita: et actio est transcendentalis relatio sui et ad causam et ad effectum, et simul fundamentum adæquatum, atque adeo relatio prædicamentalis inter causam et effectum; causa enim refertur ad effectum propter actionem (1).

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Absolutum et relativum opponuntur invicem, nec proinde identificari possunt. Atqui complexus utriusque termini cum sua adæquata ratione fundandi exhibet aliquid absolutum. Ergo...

**Resp. dist.** Major.; si nomine *absoluti* intelligatur id, quod liberum est omni relatione, *conc.*; sed noto in hoc sensu nullum creatum ens esse absolutum, quia omnia referuntur saltem transcendentaliter ad Deum, et omnia etiam referuntur prædicamentally ad aliud, aliqua relatione vel similitudinis, vel diversitatis, etc. Si nomen *absolutum* sumatur

(1) Vide Lossada, loc. cit., cap. 6, n. 2; ubi vide plura n. 6.

pro eo, quod aptum est concipi absque relatione, *neg.*; quia cum nullum ens sit pure relativum, omnia sunt apta concipi absque relatione saltem prædicamentali, ideoque potest in hoc sensu absolutum et relativum quoad rem ipsam identificari.

Et *contradist.* Minor., *neg. conseq.*

**Objic. 5.<sup>o</sup>** Totum esse relationis esse dicitur *ad aliud*. Atqui si relatio identificetur cum adæquata ratione fundandi, verum id non est.

**Resp. dist.** Major.; si consideretur relatio physice et in sensu reali, *neg.*; si consideretur, prout subest conceptui comparativo, et secundum id quod explicite declarat ratio relationis, *conc.*

Et *contradist.* Minor., *neg. conseq.*

Relatio secundum propriam rationem solum explicite declarat rem comparatione facta ad aliam. Sic cum dicis: *Petrus specificè convenit cum Paulo*, non vis exprimere quid Petrus vel Paulus sit in se, verum quomodo Petrus se habeat ad Paulum: et idem locum habet, cum dicis: *Hic paries est similis huic alteri*, vel: *Philippus est pater Alexandri*. Hoc ergo pacto nihil vetat, quominus totum esse entitatis absolute prout nempe subest conceptui comparativo, sit ad aliud. Quod vero relatio non excludat, quoad rem ipsam, esse suum, quod non sit ad aliud, constat ex eo quod relatio importet non solum esse ad, sed etiam esse in: idque etiam Thomistæ admittant, necesse est, quibus relatio consistit in entitate subjecto inhærente. Cæterum probe nota, cum dicitur *totum esse relationis esse ad aliud*, id intelligendum esse non de alio distincto a tota relatione, sed de alio distincto a fundamento vel subjecto relato, ut sensus sit iste: *totum esse relationis, qua v. g. Petrus dicitur similis Paulo in essentia, est referre Petrum ad aliud a se, scilicet ad Paulum qui est terminus illius relationis* (1).

**Objic. 6.<sup>o</sup>** Nequit relatio formaliter consistere in eo, quod fundamentum est et causa relationis. Atqui talis est ratio fundandi. Ergo...

**Resp.** rationem fundandi, adæquate sumptam, non ita vocari, quia fundet relationem tamquam aliquid a se realiter

(1) Vide Lossada, loc. cit., cap. 5, n. 1-6.

Eadem entitas,  
potest esse  
relatio  
transcendentalis  
et prædicamentalis.

distinctum; sed quia concipitur a nobis ut fundans, vel etiam quia fundat conceptum comparativum, «qui dicitur relatio formalis formalitate intentionali, et terminatur ad ipsam rationem fundandi, quæ est relatio formalis formalitate physica» (1).

**Objic. 7.<sup>o</sup>** Nostra sententia re vera negat relationes reales. Nam  $\alpha$ ) nihil nos admittimus in relatione v. g. similitudinis, vel altera quavis, quod non admitterent veteres illi, qui negasse ex parte objecti relationes dicuntur; non enim negare potuerunt esse a parte rei duo alba ejusdem intensionis actu existentia.  $\beta$ ) Non salvamus conceptum *in*, saltem in relatione identitatis vel similitudinis specificæ.  $\gamma$ ) Relatio, sicut alia prædicamenta, debet esse unum per se. Atqui complexum ex subjecto ac termino unum per se non est.  $\delta$ ) Ex modo concipiendi omnium, relatio debet resultare ex fundamento ac termino simul positus. At in nostra sententia nequit resultare, cum ab illis non distinguatur. Ergo (2).

**Resp. neg. assertum.** Ad  $\alpha$ ) *neg.* quod nos a veteribus illis non discrepamus. Illi enim quamvis agnoscerent duo alba existentia negabant dari actu in rebus formalem similitudinem, sed formalem similitudinem, et aliam quamvis relationem, reponebant in actu intellectus unum cum alio comparantis; nos vero ante actum intellectus agnoscimus in rebus, quidquid sufficit ad constituendam relationem similitudinis, diversitatis, paternitatis etc., ita ut hujusmodi denominationes non verificentur de actu intellectus unum cum alio comparantis, sed plenum habeant in rebus ipsis verificativum. Ad  $\beta$ ) respondeo quod in relationibus, quæ consistunt in accidente aliquo a substantia distincto, clare salvatur a nobis conceptus *in*; at in relationibus aliis, quæ fundantur in substantia, sicut *esse* ipsarum non est entitas accidentalitatis physice superveniens et inherens subjecto, sed solum logice et secundum modum prædicandi contingenter; ita etiam non salvatur conceptus *in*, nisi secundum modum concipiendi et significandi. Ad  $\gamma$ ) dico relationem esse debere

(1) Lossada, *ib.*, cap. 6, n. 1. Relege superius scriptum locum ex *Summa totius Logicæ Aristot.*, tract. 5, cap. 2.

(2) Apud Lossada, *loc. cit.*, cap. 5, n. 12.

unum per se, non unitate physica, sed logica et prædicativa, quatenus prædicatur per modum unius prædicati, et non plurium. Neque vero est major unitas per se in prædicamento habitus, quo v. g. dicitur: *Homo est vestitus*. Ad  $\delta$ ) dicendum est resultantiam relationis esse formalem, seu per modum effectus formalis, non vero effectivam; fere sicut ex anima et corpore unitis resultat esse hominis, et ex objecto et cognitione resultat esse cognitum (1).

**Objic. 9.<sup>o</sup>** Si relatio paternitatis non consistit in aliquo modo superaddito, sed in ipsa actione generativa, transeunte illa actione non amplius durabit relatio, ac proinde generans, etiam vivente filio, statim desinet esse pater.

**Resp.** difficultatem hanc varie solvi posse pro varietate sententiarum circa fundamentum relationum secundi generis, quas superius retulimus. Qui enim paternitatem in ipsa potentia generandi reponunt, nullo negotio se expedient. Ex iis autem, qui paternitatis relationem volunt in ipsa generatione fundari, alii censent ex generatione relinquere in generate quamdam realem determinationem ad effectum præteritum sive per habitum, sive per dispositionem aut jus aut aliquid simile, ut loquitur Joannes a S. Thoma (2). Alii putant generationem ipsam præteritam esse relationem paternitatis, quæ quamvis physice non existat, logice tamen ac denominative perdurat, quamdiu pater et filius vivunt. Nam «forma ut tribuat denominationem de præsentem, non requirit esse de præsentem. Si igitur relatio paternitatis tota est in actione generativa, relatio paternitatis physice præterita, logice perseverat, quia habet vim, per hoc ipsum quod fuerit, determinandi ad dicendum quod fuit. Sed dicere quod fuit actio generativa Philippi in Alexandrum est dicere, quod Philippus est pater Alexandri. Ergo habet vim determinandi ad dicendum: *Philippus est pater Alexandri*». Ita Semery (3).

Plura qui volet de hisce subtilitatibus, adeat Lossada (4) et alios auctores superius citatos.

(1) Vide Lossada, *loc. cit.*, cap. 5, n. 13-17, ubi plura require.

(2) *Logic.*, quæst. 17, art. 3, *Tertia difficultas*.

(3) *Trienn. philos.*, vol. 1, disp. 4, quæst. 8, art. 8, in respons. ad objection. ultim.

(4) *Loc. cit. tot.*, cap. 5.

## ARTICULUS III.

Indicantur quædam aliæ quæstiones  
relationem respicientes.

342. Sunt adhuc quædam aliæ controversiæ ad difficilem hanc materiam pertinentes, quas innuere saltem necesse est, ut sciat curiosus lector, quosnam magistros adire possit, si velit aliquid de hisce rebus cognoscere. Itaque

**Quæritur 1.<sup>o</sup>** Udenam sumenda sit specifica distinctio relationis. Tres sunt de hac re sententiæ: prima tenet relationes accipere unitatem vel distinctionem specificam adæquate ex fundamento, non vero ex termino. Ita Dominicus a Flandria, Nazarius et Cajetanus et Bañez apud Complutenses (1) et Mastrium (2). Et pro eadem adducitur S. Thomas (3), ubi ex hoc principio concludit S. Doctor, quamvis filius referatur ad patrem et matrem, non tamen habere duplicem relationem filiationis, sed unam, quia nempe unum est fundamentum istius relationis. Secunda sententia extreme opposita affirmat relationes adæquate desumere suam unitatem ac distinctionem specificam ex terminis totalibus: quam doctrinam sequuntur Soncinas (4) et Araujo (5). Tertia demum sententia media est inter has duas, tenetque ad specificationem relationum simul concurrere fundamentum ac terminum. Hæc est communior opinio scriptorum, quam sequuntur plures Thomistæ (6), ac nominatim Joannes a S. Thoma (7) et Complutenses (8); itemque multi Scotistæ (9) et Suarez (10), Rubius (11), Soarez lusitanus (12) alique. Et idipsum quoque

- (1) *Logic.*, disp. 14, quæst. 7, n. 82.  
 (2) *Logic.*, disp. 8, quæst. 10, art. 1.  
 (3) 3 p., quæst. 35, art. 5.  
 (4) *Metaph.*, lib. 5, quæst. 32.  
 (5) Apud Complutens., loc. cit., n. 83, et Mastr. ib.  
 (6) Apud Complutens., loc. cit., n. 84.  
 (7) *Logic.*, loc. cit., art. 6.  
 (8) Loc. cit.  
 (9) Apud Mastrium., loc. cit.  
 (10) Disp. *Metaph.* 47, sect. 17, n. 15.  
 (11) *Logic.*, de *Relat.*, quæst. 6, n. 52.  
 (12) *Metaph.*, tract. 5, disp. 2, sect. 1.

sensisse Doctorem Angelicum putat Joannes a S. Thoma productis variis testimoniis Aquinatis.

**Quæritur 2.<sup>o</sup>** Udenam petenda sit numerica distinctio relationis. Responso pendet ex illa alia suo loco tractata controversia circa individuationem accidentium. Quare Thomistæ (1) communiter censent unitatem ac distinctionem numericam relationum intra eandem speciem sumendum esse ex unitate vel distinctione numerica subjecti, cui inhærent, unde sequitur v. g. eundem patrem eadem paternitate respicere plures filios, ut diserte docet S. Thomas (2), eundemque magistrum eodem magisterio plures discipulos. Oppositum tuentur Scotus (3) et Scotistæ (4), Suarez (5), Vazquez (6), Fonseca (7), Rhodes (8), et alii plures.

**Quæritur 3.<sup>o</sup>** Utrum relatio terminetur formaliter ad relativum? id est utrum paternitas v. g. terminetur ad filium ut filium, an vero ad entitatem absolutam illius hominis, qui filius est? Tres omnino sunt de hac re sententiæ, quas satis probabiles judicant Complutenses. Ad relativum terminari relationes mutuas, non mutuas vero ad absolutum censent Thomistæ multi, ut Ferrariensis, Deza, Massius, Gallego (9), et Joannes a S. Thoma (10). Alii vero plures Thomistæ ad relativum terminari pu tant omnes relationes sive mutuas, sive non mutuas; pro qua sententia laudant Complutenses (11) Dominicum a Flandria, Cajetanum (12), Bañez (13), Nazarium, Zumel et alios, quos et ipsi sequuntur.

- (1) Quos longo ordine citatos sequuntur Complutenses, loc. cit., n. 91, seqq. Vide etiam Joann. a S. Thom., loc. cit.  
 (2) 3 p., quæst. 35, art. 5.  
 (3) 2.<sup>a</sup> dist. 8, quæst. unic.  
 (4) Apud Mastrium, *Logic.*, disp. 8, quæst. 6, art. 2.  
 (5) Loc. cit., sect. 17, n. 16 seqq.  
 (6) In 3.<sup>am</sup> part. quæst. 91, art. 1, dub. 4.  
 (7) *Metaph.*, lib. 5, cap. 15, quæst. 5.  
 (8) *Philosoph. perip.*, lib. 4, disp. 4, quæst. 5, sect. 4, paragr. 2.  
 (9) Apud Complutenses, loc. cit., quæst. 6, n. 67.  
 (10) Loc. cit., art. 5.  
 (11) Loc. cit., n. 66.  
 (12) In 1.<sup>am</sup> part., quæst. 13, art. 7.  
 (13) *Ibid.*, dub. unic. ad 2.<sup>am</sup>

Udenam  
specificatur  
relatio.

Udenam  
petenda  
sit numerica  
distinctio rela-  
tionis.

Utrum relatio  
terminetur ad  
relativum.